

The title page is framed by a highly decorative border. At the top, a pediment contains a central shield with a floral design, flanked by two cherubs. Above the shield is a small dome. The sides of the frame are adorned with statues of figures holding staffs, and various other sculptural elements like vases and scrolls. The text is centered within a rectangular frame.

PONTIFICALE
ROMANVM
CLEMENTIS VIII.
PONT. MAX.
I V S S V
R E S T I T V T V M

ATQVE EDITVM



ROMAE, M.D.XCV.

DE BENEDICTIONE,
& impositione crucis profi-
scentibus in subsidium, &
defensionem fidei Christia-
næ, seu recuperationē ter-
ræ sanctæ.



Profecturus in
subsidium, & de-
fensionē fidei
Christianæ, seu
recuperationē
terræ sanctæ genuflectit ante
Pontificē, coram quo vnus
ministorum tenet crucē be-
nedicendam illi imponendam.
Tum Pontifex stans sine mi-
tra, dicit super crucem.

℣. A diuturnum nostrū in no-
mine Domini.

℞. Qui fecit cælum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Oramus.

○ Omnipotēs Deus, qui cru-
cis signum pretioso filij
tui sanguine dedicasti, quique
per eandem crucem filij tui
Domini nostri Iesu Christi
mundum redimere voluisti,

& per virtutem eiusdem ve-
nerabilis crucis humanum ge-
nus ab antiqui hostis chyro-
grapho liberaſti, te suppliciter
exoramus, vt digneris hanc
crucem paterna pietate bene-
dicere, & cælestem ei virtu-
tem, & gratiam impartire; vt
quicumque eam in passionis,
& crucis vnigeniti tui signum
ad tutelam corporis, & animæ
super se gestauerit, cælestis gra-
tiæ plenitudinem in ea, & mu-
nimen valeat tuæ benedictio-
nis accipere: quemadmodum
virgam Aaron ad rebellium
perfidiam repellendam bene-
dixisti, ita & hoc signum tua
dextera bene dic, & contra
omnes diabolicas fraudes vir-
tutem ei tuæ defensionis im-
pendas; vt portantibus illud
animæ pariter, & corporis pro-
speritatem cōferat salutarem,
& spiritualia in eis dona multi-
plicet. Per eundem Christum
Dominum nostrū. ℞. Amen.
Deinde Pōtifex aspergit cru-
cem ipsam aqua benedicta, &
super recepturū ipsam dicit.

Oremus.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui es verus, & omnipotens Deus, splendor, & imago Patris, & vita æterna, qui tuis discipulis afferuisti, vt quicumque vult post te venire, semetipsum abneget, & suâ crucem tollens te sequatur, quâsumus immensam clemētiam tuam, vt hunc famulum tuum, qui iuxta verbum tuū seipsum abnegare, suamque crucem tollere, & te sequi, ac contra inimicos nostros pro salute populi tui electi propere, & pugnare desiderat, semper, & vbique protegās, ac a periculis omnibus eruas, & a vinculo peccatorum absoluas, acceptumque votum ad effectum deducas optatum. Tu, Domine, qui es via, veri-

tas, & vita, & in te sperantium fortitudo, eius iter bene disponas, & prospera cuncta concedas; vt inter præsentis sæculi angustias tuo semper auxilio gubernetur. Mitte ei, Domine, Angelum tuum Raphaellem, qui Tobię comes fuit in itinere suo, eiusque patrem a corporis cæcitate liberauit, in eundo, & redeundo sit ei defensor contra omnes visibiles, & inuisibiles hostis insidias, & omnem mentis, & corporis ab eo cæcitatem repellat. Qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum.

R. Amen.

Tum Pontifex sedens, accepta mitra, imponit illi crucem dicens.



Accipe signum crucis. In nomine Pa- tris, & Fi- lii, & Spiritus s- sancti, in figu- ram crucis, passionis, & mortis Christi, ad tui corporis, & ani- mæ defensionem ; vt diuinæ bonitatis gratia post iter ex- pletum saluus, & emendatus ad tuos valeas remeare . Per Christum Dominum nostrū. R. Amen.

Demū Pontifex aspergit cru- ce signatum aqua benedicta,

qui genuflexus osculatur ma- num Pontificis, & discedit.

DE BENEDICTIONE Armorum.



Pontifex benedi- cturus arma, quæ aliquis ministro- rum coram eo te- net, aut supra altare, vel aliquā mensam ponuntur, stans sine mitra, dicit.



℣. Adiutorium nostrū in nomine Domini.

℞. Qui fecit cælum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedictio Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti descendat super hæc arma, & super induentem ea, quibus ad tuendam iustitiam induatur. Rogamus te, Domine Deus, ut illū protegas, & defendas, qui vivis, & regnas Deus, per omnia sæcu-

la sæculorum. *℞. Amen.*

Alia Oratio.

Oremus.

Deus omnipotens, in cuius manu victoria plena consistit, quique etiam David ad expugnandum rebellem Goliath vires mirabiles tribuisti, clementiam tuam humili prece deprecamur, ut hæc arma alimica pietate bene dicere digneris; & concede famulo tuo **N**eadem gestare cupienti, ut ad munimen, ac defensionem sanctæ matris Ecclesiæ, pupillorum, & viduarum, cō-

tra inuisibilem, & visibilem
hostium impugnationem ip-
sis libere, & victorioso utatur.
Per Christum Dominum no-
strum.

℞. A men.

Deinde aspergit ea aqua be-
nedieta.

DE BENEDICTIONE Ensis.

Bontifex enssem bene-
dicere volens illo, cui
tradendus est, coram
eo genuflectente, quem vnus
ex ministris coram eo tenet,
stans sine mitra dicit.



℣. A diuitiorum nostrum in no-
mine Domini.

℞. Qui fecit caelum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

℞. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Bene ☩ dicere digneris,
quæsumus, Domine, en-

sem istum, & hunc famulum
tuum, qui eum, te inspirante,
fulcipere desiderat, pietatis
tuæ custodia munias, & illa-
sum custodias. Per Christum
Dominum nostrum. ℞. A mē.
Deinde aspergat enssem aqua
benedieta. Tum sedens, acce-

pta mitra, tradit eum illi, cui tradendus est, genuflexo coram eo permanente, dicens.

Accipe ensē istum. In nomine Pa + tris, & Fi + lii, & Spiritus + sancti, & vtaris eo ad defensionem tuam, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad cōfessionem inimicorum crucis Christi, ac fidei Christianæ; & quantum humana fragilitas permiserit, cum eo neminem iniuste lædas, quod ipse tibi præstare dignetur, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. *R. Amen.*

DE BENEDICTIONE, & traditione vexilli bellici.

Pontifex. vexillū bellicum, quod vnus ex ministris coram eo tenet, benedicere volens, stans sine mitra dicit.

℣. A diutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cælum, & terram.

℣. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es cūctorum benedictio, & triumphatium fortitudo, respice propitius ad preces humilitatis nostræ, & hoc vexillum, quod bellico vsui præparatū est, cælesti benedictione sanctifica; vt cōtra aduersarias, & rebelles nationes sit validum, tuoq. munimine circūseptum. sitq. inimicis Christiani populi terribile, atq. in te confidentibus solidamentū, & certa fiducia victoriæ. Tu enim es, Deus, qui conteris bella, & cælestis præsidij sperantibus in te præstas auxiliū. Per vnicū filiū tuū, Christū Dominum nostrū, qui tecum vivit, & regnat in vnitæte Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorū. *R. Amen.* Deinde aspergit vexillū aqua benedicta. Tum sedens, accepta mitra, genuflexo coram eo illo, cui vexillum tradendū est, consignat ei ipsum vexillum, dicens.



A Ccipe vexillum cælesti
benedictione sanctifica-
tum, sitque inimicis populi
Christiani terribile; & det tibi
Dominus gratiam, ut ad ipsius
nomen, & honorem cum illo
hostium cuneos potenter pe-

netres incolumis, & securus.
Deinde dat ei osculum pacis,
dicens.

Pax tibi.

Qui accepto vexillo oscula-
tur manus Pontificis, surgit, &
discedit.

F I N I S
SECUNDÆ PARTIS.